



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrорvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex
maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis
opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè
explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

Candido Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9500

C A N D I D O L E C T O R I .



Ec Sibillæ folia, in quibus scribabantur oracula, & quæ auris cœlestibus afflari olim solita fuisse, Poetæ suis fabulis memoriae prodiderunt, tam cito per antrum spargebantur, quam cito per Vtbum, atque hinc per Orbem vix Typis mis- sa, ex officinis Bibliopolarum volitarunt eruditissima Com- mentaria in Rubricas Missalis, & Breuiarij Romani, à R.P. D. Bartholomæo Gauanto Clerico Regulari S.Pauli diligentissimè elaborata, fuerit dignitas planè cœlestis Rituum Sa- crorum, quorum traditur accuratissima cognitio: fuerit nobilitas præclarissimi ordinis, qui aurea veluti Catena, dum gemmas sacrarum eruditionum in vnius voluminis aureo tanquam in monili conclu- sit, illustriores effecit: fuerit demum utilitas, seu necessitas præstantissimi operis ple- nissimique sacrae delectationis, quæ vniuersos penè Ordines Reipublicæ Christianæ, ut emerent, ac lexitarent, pellexit. Illud certè vero est verius, tam felicibus auspicijs in lucem opus prodijse, vt prodire iterum homines sapientissimi, non cupiant sol- lùm, verùm rogitent etiam vehementius, rara operum felicitate, his præsertim tem- poribus, in quibus librorum supereffluens copia legendi satietatem inuexit. Quorum ego honestissimæ postulationi ita occurendum existimau, vt nouis, supra trecentas, præclarissimis Annotationibus diratum opus, iisque Romana lance non semel ex- minatis, illustrioris Tituli nouum præferat in fronte decus. Ac quemadmodum in eo congesta, conclusæque sunt Christianæ pietatis, & diuini cultus, pretiosissimæ opes, vt vix quidpiam in hac parte desiderare aliud religio hominis solertissimi possit; non secus, vt rerum opulentissimæ dignitati nominis præstantia responderet. *Thesaurus Sacrorum Rituum* deinceps appelletur.

Sed Thesauri, qui vel in publico Ciuitatis, vel in Cæsaris loco inueniretur, dimi- dium esse Cæsar, dimidium Inuentoris naturalem æquitatem secuti Romani Prin- cipes præclaris Constitutionibus olim statuerunt: opportunè ad rem meam, atque ex animi sententia; an melius optari quidpiam à me poterat, quam vt Thesaurus hic a me inuentus, ipso vel Iure Cæsareo, summo deberetur Pontifici, ac integerrimo eius- dem Nepoti; quorū alterū rerum Sacrarum Arbitrum supremum, alterū proximum Ministrum cœlestis prouidentia Ecclesiæ sue dedit? Curæ igitur secundæ huius excudendi operis omnis profus expertes sunt curæ, cum nouæ Epistolæ nuncupato- riæ, tūm exquirendi Sacri Principis, cui possent hæ iterum dicari. Priorem enim partem V R B A N I VIII. Pont. Maximi; alteram esse Francisci Cardinalis Barberi- ni, non loci possessio, in quo inuentus Thesaurus est, sed Maiestas nominis, quo inscri- ptus est, apertissimè demonstrat.

Si quæ mihi pars Inuentori obueniret, ea demum tota eorumdem est, quibus ego iampridem, & mea, & me ipsum lubentissime deuoui. Vale Candide Lector, & Thesauro in compendium missò sospes fruere.

V R-